DE CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLVI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS RAUSCH
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

F. TRUESTEDT, MED. ET CHIR. CAND.
A. WEHMER, MED. ET CHIR. DR.
B. SIMON, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

J. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS SUPREMIS INTIMIS, MINISTERII RERUM SACRARUM, PAEDEUTICARUM AC MEDICARUM, SICUTI COLLEGII EXAMINUM HABENDORUM SUPREMI SOCIO, DIRECTORI INSTITUTI POLICLINICI, ORDINUM REGIORUM DE AQUILA RUBRA CUM LEMNISCO IN CLASSE TERTIA ET CRUCE FERREA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC.

PRAECEPTORI

MERITISSIMO AC SUMME VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Scriptis et veterum et recentiorum medicorum rem ferme nullam inesse, quin a clarissimis atque experientissimis viris egregie tractata esset, quum animo considerarem, diu tiro equidem primum haesitavi, quamnam mihi elaborandam sumerem materiam. Sed cum intellexissem non illud interesse, ut nos, qui omni experientia plane careamus, novi aliquid et id quidem omnibus numeris absolutum in lucem proferamus, sed ut mori vetustissimo, quo diligentiae ac doctrinae specimen nos edere jubemur, satisfaciamus, ejusmodi mihi elegi materiam, in qua tractanda vel celeberrima auctorum nomina excelluerunt. De chlorosi quidem agendi consilium cepi, quod in exercitationibus clinicis saepenumero mihi oblata est occasio hoc morbo laborantes vi-

dendi morbique decursum persequendi. Sed vires meas, quas sentio quam sint exiguae, rei susceptae haud esse pares libere cum fatear, spero fore, ut lector benevolus, si non omnia apte et expedite tractata invenerit, memor temporis, quo ipsi tale opusculum erat scribendum, tironi indulgeat.

I. NOMEN ET DEFINITIO MORBI.

Morbus, ad quem describendum appuli animum, jam veterrimis medicis haud ignotus fuisse videtur, variaque accepit nomina, quorum nunc chlorosis est frequentatissimum, quo recentiores medici ad morbum illum designandum semper utuntur. Cetera chlorosis nomina, sicut morbus virgineus, febris alba, febris amatoria, cachexia alba, icterus albus, nunquam talem adepta sunt probationem, ut de uniuscujusque etymologia fusius disserere nec cum consilio meo congruum, nec operae pretium ducam, satis est de nomine morbi virginei hoc tantum afferre, id hac ex re ortum esse videri, quod maxime virgines ab illo morbo peti solent. Ut postea demonstrabimus, chlorosis ex haematopoësi morbosa causam ducit, unde fit, ut plurimi auctores morbum summo jure dyscrasiis adnumeraverint. Vox chlorosis a vocabulo Graeco *χλωρός*, quod significat *pallidus*, derivatur, quem colorem aegroti toto corpore ostendunt.

Complectitur autem hujus morbi, quodquod est nomen, statum illum corporis morbosum, in quo totum corpus pallore quodam, ex anaemia vel oligaemia pro-

fecto obducitur, quem et perturbationes in organis sexualibus et ceterorum organorum, quibus major est dignitas, functiones anomalae plerumque sequuntur.

Est vero illud habitus chlorotici signum sic dictum pathognomonicum; cum enim cetera morbi symptomata et causis proximis et decursu morbi et aegri natura maxime variantur, hoc phaenomenon morbum nunquam non comitatur.

II. HISTORIA.

Pauci inveniuntur morbi, de quorum natura, causis et notionibus historicis tantopere auctores inter se dissentiunt, quam de chloroseos natura. Plurimi enim scriptores, chlorosin jam Hippocrati (Lib. de morb. virgin.) et Galeno medicisque Arabicis notam fuisse, ex scriptis eorum demonstrant, dum alii concedentes, clarissimos illos antiquitatis viros plurima hujus morbi symptomata observasse, tamen negant certum eis innotuisse aut nomen morbo fuisse. Ita P. Frankius (de curandis hominum morbis epitom. libri VI. part. III.) chlorosin non prius, quam saeculo decimo sexto ad specificae aegritudinis dignitatem evectam esse contendit, adjicitque, primum hujus tituli auctorem diversarum regionum vulgus fuisse, quod principalem hujus affectionis characterem a colore faciei aegrotantium petiisset. Nomen chlorosis autem accepit morbus ab Dan. Sennert, professore Vitebergensi, quod idem a plurimis nationibus est receptum.

III. SYMPTOMATOLOGIA.

Chlorosis corripit plerumque puellas tempore pubertatis, rarius eas, quae majores sunt natu et quarum menses jam plures per annos regulariter fluxerunt; rarissime in feminis nuptis et viduis reperitur.

Cutis harum puellarum fit pallida, pellucida neque tamen tam alba quam in haemorrhagiis, sed modo in viridem magis, modo in luteum vergit colorem. Venae subcutaneae colore rosaceo perlucent neque unquam tumescunt; manus auresque cereae videntur, labiorum genarumque rubor plane evanescit, oculi circulis coeruleis sunt circumdati. Etiam telae mucosae, sicut linguae, gingivae et totius cavi oris, conjunctiva palpebrarum pallescunt, nec raro palpebrae oedemate tumefactae quasi saccos sordidos, lividos formant, neque tamen impressiones digitorum persistunt. Cutis aegrotarum sicca minimam sudoris copiam exspirat semperque frigida tangitur, sicuti aegrotae levissima tempestatis vice algent.

Musculi colore pallido, debiles, molles inveniuntur; ungues secundum observationes Marshall Hall fiunt fragiles et capilli facillime evelli possunt. Cutem saepius erythema nodosum (Willan) ostendere referunt.

Vires simul languescunt, aegrotae laboribus haud magnis facile defatigantur, inclinant ad lipothymias, unde fit, ut maxime quietem quaerant. Huc accedunt palpitationes cordis, quae aegrotas aggrediuntur, si arduum faciunt laborem, si scalam ascendunt aut sursum enituntur. Simul plerumque strepitus follicularis auditur in vasis magnis, maxime in arteriis carotidibus et subcla-

viis; interdum vero mutata arteriarum vibratio aut quasi cantus earum, quem Bouillaud „bruit de diable", strepitum turbonis ex sono nuncupavit. Carrière et alii medici Francogallici lumen arteriarum strepitumque eodem cum morbi intensitate gradu et augeri et imminui contendunt, atque ita pathognomonicum hunc strepitum judicant, quod semper in therapia ferrum vel tunc poscat, cum cetera symptomata jam desint. Pulsus arteriarum frequentissimus et pro tempore et morbi speciebus valde variabilis. In constitutionibus sanguine egentibus, et aut evolutione organismi suppressa, aut dyscrasia quadam debilitatis, pulsus reperitur parvus, debilis, facile comprimendus; in puellis mature evolutis aut plethoricis saepe excitationes febriles, pulsus duriusculus; in constitutionibus nervosis idem acceleratus, sed parvus et spasticus.

Saepe respirationem difficillimam, apnoeam conqueruntur aegrotae, quae medico jubente facile thoracem extendunt, praesertim post labores et omnibus causis, quibus etiam palpitationes cordis provocantur. In locis clausis, ubi multi homines versantur, subita animae defectio puellas interdum aggreditur.

Organa sexualia sunt plerumque atrophica et evoluta quidem atonica; mammas parvas, labia et vaginam laxa reperimus. Menses semper sunt turbati, plerumque sanguinem cum muco mixtum emittunt, aut fluor albus locum eorum occupat. In aliis nunquam menses cessant, sed sparsi et irregulares fluunt; saepissime primo tempore adsunt et aliquod post tempus cessant, si morbus adaugetur; raro menses nimii inveniuntur. Aliae puellae morbo corripiuntur, priusquam menstruatio apparuit, et tunc non apparet nisi chlorosi sanata.

Systema reproductionis maxime affectum est. Ciborum appetitus valde imminutus, ita ut saepe cibum omnino sumere fere nolint aegrotae. Alvus prope semper tarda, aut diarrhoea mucosa exstat. Abdomen expansum, ita ut non raro suspicemur graviditatem, praesertim cum menstruatio plerumque non intret. Lingua muco albo, flavescente obtecta. In stomacho brevi post coenam dolor exoritur cardialgicus, quem ructus et vomituritiones saepe sequuntur. Tamen saepe aegrotae non fiunt macrae, sed opimae videntur, magis autem sunt tumidae; accedit oedema extremitatum et praecipue inferiorum; membranae mucosae praesertim in organis respirationis et generationis ad blennorrhoeas inclinant. Helminthiasis quoque saepe juncta est chlorosi. Cibos appetunt aegrotae, qui nutritioni neutiquam sunt apti, quales sunt calcaria, creta aliaque hujus generis. Pica haec chlorotica sic dicta hac ex causa oriri videtur, quod in viis primis acidum liberum producitur.

Nervorum irritabilitas justo vel major vel minor est, reactio in stimulum vero semper imminuta. Interdum aegrotae hallucinationibus et imaginationibus fixis die noctuque vexantur. Plerumque morosae, difficiles sunt, tristitia et tanquam melancholia impulsae solitudinem quaerunt; tristibus animi affectibus deditae non voluptate moventur, saepe suspirant et lacrymas fundunt. Ad haec accedunt magnus ad dormiendum nisus, mane e lecto surgere aegrotis non libet. Dolor capitis interdum vehementissimus, saepe hemicraniae similis, modo portionem frontalem aut occipitalem tenet; vertigo, syncope, susurrus ante aures aliaque phaenomena prodeunt.

IV. PHYSIOLOGIA.

Maximi momenti in chlorosi est mutatio compositionis copiaeque sanguinis, et quidem tanti, ut plurimi auctores mutatam compositionem sanguinis solam esse causam proximam ac naturam ipsam chloroseos omniaque cetera symptomata inde pendere contenderint. Tempore menstruali maxime serum sanguinis mutationem praesertim globulorum copiae referre constat, cum ante menses fluentes, aut mensibus suppressis, aut irregulariter fluentibus numerus globulorum parvus remaneat, dum si menstruatio evadit normalis, statim numerus crescit. Idem cernimus in stadio involutionis.

Lecanu et Foedisch primi demonstraverunt, copiam globulorum et ferri quantitatem esse imminutam, quod Andral et Gavarret experimentis diligenter et accurate institutis confirmarunt. Hac ex diminutione strepitum follicularem et turbonis pendere Andral contendit, nec adesse, si fibrinae tantum vel albuminis copia sit imminuta.

Secundum Foedisch continent mille partes sanguinis 1. feminae chloroticae cruoris 91,41, seri 93,61, fibrinae 6,40, aquae 806,28, ferri 3,30; 2. mulieres sanae cruoris 124,00, seri 86,01, fibrinae 25,11, aquae 756,87, ferri 8,01.

Becquerel hanc nobis dedit sanguinis analysin:

Densitas sanguinis fibrina liberati . . .	1045,8
Densitas seri sanguinis	1025,1.

Mille partibus sanguinis insunt:

Aquae		828,2
Globulorum		86,
Albuminis		72,1
Fibrinae		3,4
Extractorum saliumque		8,8
Adipis		1,503
Adipi insunt	serolini	variab.
	adipis phosphorici	0,541
	cholesterini	0,054
	saponis	0,888
M. part. sang. usti insunt	natri muriatic.	3,1
	salium solubilium	2,3
	salium c. acido phosphorico	0,441
	ferri	0,319

V. ANATOMIA.

In sectione cadaverum ventriculum cordis dextrum, vasa majora et rete capillare parvam sanguinis quantitatem continentia inveniuntur, cor saepe atrophicum mollem praebet consistentiam; organa inprimis parenchymatosa sicuti hepar, pulmones, renes, apparatus musculosus pallido colore, laxa et sicca sunt qualitate; telas membranaceas pallidas, laeves, tubum intestinalem muco obductum, contra lienem et membranas cerebri saepissime sanguine tumescentes reperimus.

Quamquam ex sola chlorosi rarissime aegrotae intereunt, multae tamen mutationes pathologicae a scriptoribus relatae sunt. Rowley lympham in pectore, pulmones pure destructos et jam putridos, cor sanguine ex-

tensum, valvulas deformes et fere ossificatas, interdum quoque ovaria hypertrophica, cerebrum et vasa sanguine egentia in sectionibus invenisse se affirmat. De pulmonibus, pectore et corde quae dicta sunt, ea Dr. a Siebold confirmat. Tales vero destructiones e chlorosi primaria pendere dubium est, sed aut secundariae sunt symptomata, aut exituum lethalium effectus; quod quidem et ipse Rowley fatetur.

VI. AETIOLOGIA.

Quod ad causas hujus morbi spectat, de remotis primum hic dicendum, causa proxima cum morbi natura conveniente.

Causae externae sunt omnia, quae haematopoësin turbent. Horum numero adnumerandi sunt nonnulli morbi, in quibus systema reproductionis maxime laborat, sicuti scrofulosis, rhachitis, atrophia infantum, helminthiasis, dyspepsia et morbi exanthematici. Huc accedunt primum alimenta prava, glutinosa, difficilia digestu, abusus aceti et potuum relaxantium; deinde domicilium immundum, humidum, solis et aëris puri expers; tempestas nebulosa vitaque sedentaria, otiosa, mollis.

Deinde eae res chlorosi favent, quae evolutionem organorum sexualium praemature adducunt, igitur genitalium irritatio praematura, masturbatio, cupidines eroticae non satiatae, abstinentia a coitu assueto, ut occurrit in viduis junioribus. Magni quoque sunt momenti in provocanda chlorosi pathemata et affectus animi: passiones suppressae, desiderium rerum, quas assequi non licet, terror, luctus, tristitia, amor infelix, libidinosae libris obscoenis lectis

motae imaginationes. Nec minus nocent hae res debilitantes: haemorrhagiae profusae, unde fit, ut morbus apud mulieres, quarum partus comitatus est ab illis, conspiciatur; porro menstruatio praecox, colliquativa, fluor albus diuturnus, diarrhoea, febres, suppurationes, sanguinis missiones inopiaque, lactatio longius per tempus extensa, morbi acuti, in specie inflammationes, quae vehementissima antiphlogosi curabantur. Etiam post febres nervosas chlorosis frequenter est observata.

Chlorosis praecipue apud puellas, rarius apud mulieres obvenit; illae quidem tempore pubertatis huic morbo saepissime subjiciuntur, cum evolutio causas occasionales ponat. Chlorosis hac ex ratione inter morbos evolutionis numerari potest.

Auctore Schoenlein regionum septentrionalium incolae ad chlorosin sunt procliviores. Ultra zonam mediam eam inveniri nonnulli auctores negant. Tamen Busch regionem non ad frequentiam, sed ad speciem morbi valere censet: in septentrione torpidam, in regione meridionali erethisticam saepius deprehendi chlorosin. In urbibus saepius quam in pagis, rure tempore vernali et autumnali crebrius quam aestate et hieme invenitur; puellae flavis capillis ornatae magis quam fuscis inclinant ad chlorosin. Epidemia narratur chlorosis apud Belgas.

Locus hic est praestantissimorum scriptorum opiniones de chlorosis natura enarrandi. Mutatio sanguinis, ut supra demonstratum, quum magna sit, permagnam quoque esse ejus actionem in organismo facile intelligi potest, et hac in re multi scriptores causam reperiebant chloroseos, cumque in oligaemia vel anaemia eadem fere mutatio occurreret, chlorosin et anaemiam unum eundem-

que esse morbum volebant. Van Swieten a nimia sanguinis glutinositate morbum virgineum repetit, quae difficiliorem faciat transitum per vasa minora, vel omnino impediat. — Fonseka sanguinem ex uteri venis redundantem viscera abdominalia, inprimis lienem afficere ait, causam autem mali abundantiam esse humorum crassorum. — Boisseau causam proximam chloroseos profert conditionem systematis sanguinis asthenicam, remissis potissimum virtutibus stimulantibus, copia vero sanguinis non imminuta: cui opinioni Roche et Sanson quoque favent. — Andral omnia chloroseos phaenomena ab anaemia derivat. Si verum est, inquit, chlorosin saepe deficiente sanguificatione normali resultare, et defectum a solo systemate nervorum pendere, num tunc jure turbationes tam varias functionum irritationibus et congestionibus sanguinis attribuas? Nonne propius veritatem accedas diversa chloroseos phaenomena ab eadem causa derivans, qua in hominibus oriuntur, qui aut privatione, aut alia causa anaemici facti sunt? Idem auctor: chlorosis, ait, typus anaemia haberi potest, in sanguine easdem efficit mutationes compositionis, quam haemorrhagiae magnae.

Schoenlein simili ductus sententia chlorosin ad familiam cyanoseon refert. — Siebold causam chloroseos in imminuta systematis arteriosi irritabilitate, praecipue vasorum abdominalium quaerit, unde tardus sanguinis circuitus efficiatur. — Canstatt chlorosin sporadicam anaemiae speciem dicit. Anaemia, inquit, et chlorosis signis, decursu, exitu et causis ita congruunt, ut idem morbus judicandae sint; ex anaemia omnia chloroseos symptomata derivantur, quorum unum et alterum interdum deest,

nunquam autem peculiaris sanguinis conditio, hydraemia. Cum anaemia status asthenicus nervorum conjunctus est, et quum integritas utriusque systematis ab mutua relatione normali pendeat, chlorosis et ex uno et ex altero oriri potest; effectus utroque casu idem est. — P. Blaud morbi chlorotici, inquit, semper ex haematopoëseos vitio exoriuntur, quo nascitur sanguis imperfectus, qui, sero praevalente et parte colorem efficiente imminuta, non amplius organismum normali modo irritare et exercitationem regularem functionum sustinere aptus est.

Vetus opinio, jam a Galeno prolata, chlorosin febrem hectico-gastricam esse, maxime a Gardieno defensa est. — Hoffmann causam proximam verti dicit in nimia sanguinis impuri et humorum viscidorum ac minus spirituosorum abundantia, ob naturalem tonum, vigorem et robur partium solidarum maximeque viscerum, chylificationi, sanguificationi et depurationi inservientium valde labefactum, in corpore collecta. Nihil igitur esse aliud chlorosin vult quam cachexiae speciem iisdem, quibus cachexia, signis sese prodentem, qua decoloratio cutis explicanda sit. Plures medici Gallici anomalias menstruationis et chlorosin ejusdem causae (atoniae organorum digestionis) sequelam esse judicant, unde mox debilitas et status febrilis evadat. Ad quam opinionem comprobandam Cabanisii observationes afferunt, chloroticas digestionis turbationem pati et morbum remediis roborantibus ac digestionem restaurantibus tolli posse. Ballard turbationem aut idiopathicam aut symptomaticam organorum digestionis talem vasorum capillarium et systematis respiratorii atoniam procreare autumat, ut san-

guificatione hac re suppressa chlorosis nascatur. — Joung dyspepsiae speciem chlorosin ducit. — Joerg proximam chloroseos causam docet in imminuto nutritionis processu cum sanguinis oxygenisatione non sufficiente et sequente inde anomala genitalium functione ponendam esse. Ita et hic et Hoffmann jam ad eorum opinionem accedunt, qui sanguinis anomaliae chlorosis causam inesse existimant.

Assimilationis quidem et reproductionis turbationes in pluribus casibus obviam fieri negari nequit, attamen causa chloroseos ex iis non eruenda esse videtur. Multa enim a scriptoribus exempla chloroseos allegantur, in quibus digestionis organa integra remansere; dein si sola digestio turbata ad provocandam chlorosin sufficeret, multo saepius quoque chlorosis in aliis hominibus, praesertim natu majoribus, arthriticis occurrere deberet, praecipue autem in infantibus scrophulosis. Sed quum in his nunquam eam inveniamus, jam aliud quidpiam ad hanc digestionis turbationem accedere necesse est, ut chlorosis exoriatur. Apud puellas chloroticas similia atque apud gravidas et hystericas feminas, quarum uterum cum suis nervis semper peccare constat, symptomata reperiuntur, qualia sunt: pica illa, cardialgia, vomituritiones, nausea, cephalalgia. Inde concludere licet, in chlorosi semper abdominalium nervorum plexus, in specie plexus organorum sexualium primum esse affectos.

Uterum percurrere constat summam evolutionem tempore pubertatis et graviditatis, et iisdem quoque temporibus frequentissime illa, quorum jam mentio facta,

symptomata adesse atque etiam tempore pubertatis chlorosin occurrere; inde sequitur, illa phaenomena et chlorosin ipsam semper cum turbatione quadam evolutionis uteri cohaerere.

VII. DIVISIONES.

Veterrima hujus morbi divisio illa videtur, quae secundum originis ipsius rationem fit, in chlorosin idiopathicam et symptomaticam.

Divisio, quam Siebold ex complicationibus instituit, ad curam potius spectat. Horn chlorosin exhibet spuriam sive symptomaticam, verae quidem simillimam, sed eo differentem, quod sejuncta a sexus evolutione, quavis vitae periodo et conditione, non solum in sexu sequiore, sed etiam in viris evenire possit. — Mason Good et entonicam statuit, conjunctam cum habitu plethorico, cephalaea, doloribus dorsi et lumborum, palpitationibus cordis, arteriae, pulso pleno, frequenti; et atonicam chlorosin, insignem constitutione debilitata, torpore, fatigatione, oedemate extremitatum, pulsu debili et celeri. — Quam distinctionem Copland dissuadet, quod species illae, gradu tantum vis vitalis discrepantes, duo saepe ejusdem morbi stadia sint. — Alii ex genesi morbi et causis species receperunt. — Harless tria genera statuit, chlorosin genuinam uterinam, quae in puellis tantum adolescentibus sub evolutione sexuali uteri ovariorumque turbatione nascatur; tum atrophicam et scorbuticam, in qua, secretione menstruali abundante, sanguis effusus tenuis appareat niger atque aquosus,

quae conditio aut phthisi aut vitiata chylificatione, aut turbato in vena portarum sanguinis circuitu exoriatur; tertiam chlorosin cardiacam, vitiis cordis organicis evadentem.

Busch chlorosin veram, idiopathicam a secundaria seu symptomatica distinguit. Chlorosin, inquit, veram eam morbi speciem vocamus, quae anomala evolutione sexuali, nullo morbo organico, ex quo turbationes illae exortae sint, occurrente in puellis junioribus excolitur. Non omnia, quae in chlorosi appareant, phaenomena ad hunc solum morbum referenda esse jam supra diximus, neque tamen chlorosin aliis morbis gigni posse hac re reprobatur, phaenomenis chloroticis, quod magni momenti ducimus, ex evolutione modo sexuali pendentibus. Singula organa aut systema aliquod, si pubertatis evolvendae tempore malo quodam afficiantur, evolutionem sexualem non normaliter participantia et chlorosin efficere et cum ea conjungi posse facile intelligitur. Quo in casu chlorosis symptomatica seu secundaria exstat, cujus phaenomena adjuncto morbo primaria varia ratione augeri possunt.

VIII. DIAGNOSIS.

Chlorosis, quamvis primum cum suppressione et retentione mensium confundi queat, tamen, quod molimina menstrualia, omnia haemorrhagiarum signa desunt, deinde propter colorem huic morbo tantum proprium, haud difficile discernitur. Pallor ille facilius, ut chlorosis vel cum ictero, vel cum carcinomate, vel cum morbis lienis

confundatur, efficere possit, nisi illa res, quod conjunctiva ictero laborantium semper lutea, chloroticarum alba vel coerulea conspicitur, diagnosin faciat certiorem. Ceterum illi cordis strepitus tantum chlorosi sunt peculiares, dum ii, qui ictero sunt affecti, symptomata dyschymoseos biliosae ostendunt. Color eorum, qui scirrho laborant, luridus, qui morbo lienis sunt correpti, paene viridis est: praeterea symptomata his morbis propria satis superque exstant.

Oedema chloroticum, dum chlorosis non re vera in anasarcam transiit, vespertino tantum tempore invenitur et nocte remittit; matutina hora palpebrae et tota plane facies maxime tumescunt. Tumorem oedematosum chloroticarum impressiones digitorum obtinere nonnulli auctores negant. (Turgor lymphaticus Brueckii).

Difficilior distinctu est palpitatio cordis ab morbis cordis organicis, quum praeter palpitationes etiam cordis morbi saepe cum vertigine, oedemate, pallore cutis conjuncti sint; ceterum chlorosis haud raro vitia cordis organica producit.

Sed certae diagnosi satis sunt hae res:

Vitia cordis organica semper fere haereditaria exstant, dum palpitationes chloroticae tempore pubertatis apparent, neque prius evanescunt quam cetera chloroseos symptomata. Palpitationes organicae neque sicut chloroticae intermittunt, neque magis animi pathematibus aut laboribus sollicitantur; dum ferrum ejusque praeparata, excitantia palpitationes chloroticas imminuunt, organicae augentur iisdem medicamentis.

IX. DECURSUS ET EXITUS.

Quamquam chlorosis plerumque gradatim et lente progrediens formari solet, tamen affectus animi morbum subito provocandi, aut jam orientem ad summum evolutionis gradum ducendi ansam praebent. Sicuti evolutio, ita et decursus morbi saepissime tardissimus; perdurat menses, imo etiam annos; interdum cura sanitas brevi restituitur. Blaud apto regimine intra viginti dies morbum curavisse se narrat.

Exit chlorosis saepissime in sanitatem completam. Revalescentia gradatim procedit, dum sanguinis et qualitas et quantitas in dies magis magisque normali statui appropinquat, ut primum pulsus arteriarum rursus plenior evadat, cutis normalem colorem recuperet, calor animalis crescat, vivendi desiderium victoriam reportet de debilitate et morositate.

Simul strepitus arteriarum evanescunt.

Eodem tempore menses regulares fiunt, dum primum mucus paullum sanguine rubefactus, deinde mense proximo sanguis et mucus, et tertio jam sanguis menstrualis profluit. Attamen reditus haud rari sunt, inprimis aegrotae inter pejus anni tempus et inter periodos disponuntur, quam ob rem maxima cautela diaetetica est commendanda.

Rarius chlorosis in alios abit morbos, quos hic enumeraturus sum: exitus fit plerumque in morbos vehementes nervorum systematis abdominalium, praecipue

nervi sympathici, et quidem rarius in neuroses somaticas, exceptis hysteria et neuralgiis, quam potius in psychicas, potissimum in melancholiam, jam dementiam attingentem, vel in nymphomaniam, apud puellas e gentibus majoribus maxime obviam, dum altera apud aegrotas e minoribus invenitur.

Secundus morborum secundariorum ordo ex affectionibus pulmonum cordisque componitur. Pyaemiam, et phthisin tuberculosam quae plerumque reperiuntur apud aegrotas scrophulosi laborantes, forma acutissima sequi posse Schoenlein et Canstatt contendunt. Ex cordis pathematibus affero dilatationem, celeribus actionibus, quae circuitus sanguinis energiam deficientem quasi resarciant, effectam (aneurysma ventriculi dextri passivum).

Inter morbos secundarios periculosiores primum tenet locum hydrops atonicus, initio anasarca, tum ascites, denique hydrops universalis. Etiam in liene haud raro turbationes remanent, sicuti atrophia et induratio, quae transeunt in hydropsiam. Mors rarissime sponte ingruit, sed morbis secundariis, vel exinanitione, lipothymiis, diarrhoea, febri hectica adduci solet.

X. PROGNOSIS.

Augurium haud malum. Hisce maxime rebus constituitur:

a) morbi tempore.

b) intensitate et harmonia symptomatum.

c) constitutione aegrotarum, nam lympathica constitutio ad sanguificationem emendandam longius possit tempus, dum nervosa in majoribus versatur periculis.

d) victu atque conditionibus indicationem causalem exequendi.

e) complicationibus et transitu in alios morbos, sicuti in hydropsiam, in affectiones lienis, tuberculosin, febrem hecticam, quibus prognosis pessima evadit, dum turbationes gastricae facilius superantur.

Chlorosis, quae post menstrua jam exorta gignitur, pejoris est ominis quam eadem puellarum, quarum menses nondum fluxerunt. Metrorrhagias in partu apud feminas, quae antea chlorosi laboraverint, frequentes esse hasque facile abortire nonnulli arbitrantur. Attamen graviditas plerumque optimum contra chlorosin est remedium et, ut Autenriethius ait, eam sine ferro sanat.

XI. THERAPIA.

Indicatio causalis. Primum quidem removendae sunt causae illae occasionales, quae causam interius abditam praedisponentem in lucem evocaverunt, jam supra in aetiologia memoratae. Necesse est igitur, medicus maxime animum intendat in eas res, quae ad vitam sexualem spectant, quippe cujus anomaliae plerumque morbi causae inveniantur. Jam sunt vitandae omnes libidinem incendentes res, scilicet cibi et potus excitantes, animi affectus, cogitationes et sermocinationes, quae magnopere

imaginandi vim inflammant, vita otiosa longiorque somnus. Interdum amoris ardor, cui mitigatio non est allata, nihil poscit nisi quod praedixit senex Cous, qui, equidem, inquit, virginibus suadeo, quibus tale quid accidit, ut citissime cum viris conjugentur, si enim conceperint, sanae evadunt.

Indicatio morbi methodo restaurante expletur, ita quidem ut medicus a medicamentis lenioribus ad fortiora progrediatur. Est autem ferrum specificum contra chlorosin celebratissimum. Optima forma, qua ferrum adhibeatur, ejus est praeparatorum, uti sunt tinct. ferri pomata, cydoniata, salita, liq. aether. martiat., ferrum oxydat. fusc., ferrum tartarisatum, ferrum jodatum, aq. chalybeae et naturales et factitiae, quibus ubi aut solis, aut cum extractis amaris conjunctis usi sumus, ad limaturam ferri transimus, quae majore quidem opere assimilatur.

Ut satisfaciamus *indicationi symptomatum*, quae saepe curam specialem requirunt, ferro aut solo utimur, aut juncto cum nervinis quibusdam, praecipue cum gummatibus ferulaceis, quibus specificus in uterum effectus, vel cum emmenagogis. Sed sanguificatione ferro emendata, cetera quoque symptomata, quae e sola haematopoësi anomala quidem originem trahunt, evanescunt mensesque, pellentibus minime advocatis, profluunt.

Contra chlorosin puellarum nervosarum initio tonica mitiora, veluti elixir. acid. Halleri, elix. Mynsichti et quidem doses parvas, tum vero, corpore jam magis roborato, ferri praeparata adhibere licet. Sin chlorosis in puellis torpidiore constitutione invenitur, necesse est,

vias primas aut emeticis, aut purgantibus interdum purgemus, quibus simul systema abdominalium nervorum apte excitetur, obstructiones viscerum eliminentur, stagnationes in systemate venae portarum dissolvantur. Attamen illa sunt impendenda excitantia, quae postea non debilitant; optimum emeticum rad. ipecacuanhae, laxans rheum, aloën sive pilulas Stahlii aperientes eligimus.

Jam vero morbo illo ad recidendum inclinante postulatur, ut etiam sanato malo per complures menses et cautelam diaeteticam et medicamenta adhibeamus.

Reliquum denique est, ut medicamina, quae a medicis quibusdam specifica celebrantur, hic laudemus; sunt cochlearia armoracia, extr. artemis. spirituosum; jodum, manganum oxyd. nigr., tanninum, phosphorus. Omnia tamen ferro supervacanea fiunt.

Ex medicamentis amaris, quae ad curam chloroseos perficiendam partim sola, partim conjuncta cum ferri praeparatis applicantur, tantum affero: lign. quassiae, trifol. fibrin, hb. cardui benedict., hb. absynthii, chelidon. majus, cort. chinae, salic. fragil., helenium, costum indicum, fruct. immaturos Aurant., dictamnum album. Aromata cum ferro conjunguntur, ut faciliori ferri assimilationi inserviant. Tales formulas afferendi hic est locus:

Rp. Extr. cort. angust., extr. chamom. ana ʒij, ferri pulverat. ʒj, pulv. rad. colombo q. s. ut f., pill. pond. gr. ij. DS. 3 mal täglich 8 — 10 Stück. (**Hecker**).

Rp. Summitat. absinth. ʒiij, cortic. cinnam., ferri pulverat. ana ʒij, infunde c. vini opt. ℔.iij; post

nychthemeron cola. S. Täglich 3 — 4 Efslöffel. (Brera.)

Rp. Ligni quassiae, sacch. albi ana ℈j, flor. sal. ammon. martiat. gr. x. M. f. pulv. Dispens. tales doses nr. 24. S. 4 mal täglich ein Pulver. (Richter.)

Rp. Ferri carbon., sacchari ana ℈β, pulv. cass. cinnamom. gr. v. M. f. pulvis. Dispens. tales doses nr. 12. DS. Morgens und Abends ein halbes Pulver. (Ebert.)

Ferrum, quum apud quasdam constitutiones obstructionem alvi facile efficiat, hac sub conditione cum rad. rhei apte conjungitur, cujus generis haec Hufelandii formula est:

Rp. Ferri alcoholis. ℈β, rad. rhei, cinnamom. ana gr. ij, sacchari albi ℈j. M. f. pulvis. DS. Früh und Abends ein Pulver.

Eadem ratione ferrum cum absorbentibus, quo acidum ventriculi neutralisetur, componimus:

Rp. Conchar. praeparat. gr. xv, ferri pulverati gr. iij, Elaeosacch. cinnamom ℈β. M. f. pulv. S. Dreimal täglich ein Stück. (Naumann.)

Contra chlorosin cum scrophulosi complicatam ferrum jodatum, praecipue a Pierquin, Thomson, Maclure, Geddings laudatum, principatum tenet.

Rp. Ferri jodati ℈j. croci pulv. ʒj, Sacchari albi ℥viij. M. f. trochisci nr. 240. S. 6 — 10 Stück täglich. (Pierquin.)

Ut jam supra est commemoratum, ferro etiam cum nervinis nonnullis, quorum specifica in uteri nervos lau-

datur vis, neque minus cum emmenagogis quibusdam conjuncto utimur, cujus generis sunt:

Rp. Ferri muriat., aloës, extr. marrub. ana ℥β, asae foetid. ℥iβ. M. f. pill. pond. gr. ij. DS. 3 mal täglich 4 — 5 Stück. (Whytt.)

Rp. Tinct. vanill., tinct. ferri acet. — aeth. ana ℥ij. S. 4 mal täglich 15, 20, 30 gtt. (Günther's tinct contra chlorosin.)

Rp. Ferri sulfur. cryst. ʒj, extr. myrrhae, galbani dep. ana ℥iij, syr. cort. aurant. q. s. ut f. pill. nr. 240. S. 2 std. 6 Stück. (Kaempf.)

Rp. Fol. tax. baccat., ferri carbon. ana ℥j. secal. cornut. ℥ij, fol. digitalis purp. ℥β, syr. emulsiv. q. s. ut f. pill. nr. 250. S. 2 mal 8 Stück mit Sabinathee. (Naumann.)

Rp. Flor. sal. ammon. mart., galbani dep. ana ʒj, asae foetid. ℥ij, castorei ℈j. M. f. cum tinct. Valerian. q. s. pill. pond. gr. iij. DS. Morgens und Abends 2 — 3 Stück. (Berends.)

Sin chlorosis jam sanata exstat, tamen ferrum in dosi minori et intermissis temporis spatiis interdum per complures dies etiam posteaquam omnia morbi symptomata evanuerunt, adhibeatur necesse erit, quo morbi sanatio magis magisque firmetur. —

VITA.

Natus sum Guilelmus Joannes Eduardus Rausch, fidei evangelicae addictus, die XV. mensis Augusti anni MDCCCXXII Stolpae, oppido Pomeraniae, patre Henrico, matre Guilelma e gente Haerdtel, quibus adhuc viventibus laetor magnopere.

Elementis litterarum in schola civica imbutus, puer duodecim annorum gymnasium Berolinense leucophaeum, cui rector Cel. Koepke ejusque post mortem Ribbeck praeerat, adii et per annos septem et dimidium frequentavi. Deinde mense Octobri anni MDCCCXLII gymnasio relicto a Rectore Magnifico Ill. Prof. de Raumer in civium almae universitatis Fridericae Guilelmae numerum receptus, primum studiosis philosophiae ab Ill. Decano Trendelenburg, sed maturitatis testimonio ornatus paschali tempore anni MDCCCXLIII ab Ill. Prof. Mueller, t. t. gratiosi medicorum ordinis Decano maxime spectabili, studiosis medicinae rite adscriptus sum.

Per quadriennium hisce interfui lectionibus:

Ill. Werder de logice et metaphysice;

Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia, de historia medicinae;

Ill. Lichtenstein de zoologia.

Ill. Schultz de botanice, de homoeopathia et alloeopathia;

Ill. Weiss de mineralogia;

Ill. Mitscherlich de chemia experimentali;

Ill. Dove de physice et meteorologia;

Exp. Dann de pathologia et therapia tam generali quam speciali;

Exp. Ascherson de chirurgia generali et speciali;

Ill. Mitscherlich jun. de materia medica;

Exp. Schoeller de arte obstetricia;

Exp. Ebert de auscultatione et percussione;

Ill. Wagner de politia medica;

Ill. Casper de medicina forensi;

Cel. Boehm de aciurgia;

Ill. Huschke de physiologia generali et speciali (semestri aestivo, anno MDCCCXLIV, quo Jenae sum versatus).

In arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm, in arte operationes in cadavere instituendi Cel. Boehm, duces mihi fuerunt experientissimi.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis interfui virorum Ill. Truestedt, Dieffenbach, Juengken, Wolff, Schmidt.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, optime de me meritis, maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissersatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. In phthisi pulmonali non est utendum regimine antiphlogistico, sed corroborante.
2. Corpus humanum non est symmetricum.
3. Vomitus diaphragmatis et musculorum abdominalium contractione plerumque efficitur.
4. Nunquam una quaedam operandi methodus est optima.
5. Omnes morbi ad mortem tendunt.